

lando ut prius; toties facito donec clarissima à fæcibus exierit. sicque
restabit tibi rubrum oleum ad aurum, Indico, quod ad nos rehitur
purius, tali autem copia, ut nusquam defuturum sit. Adhæc, bene
vale candide Lector; viveque nostri memor. Gondæ, Mense Martio,
Anno 1601.

TUUS AD OMNIA

NICOLAUS BARNAUDUS
Medicus à Crista Arnaudi Del-
phinas Gallus.

DE OCCULTA PHILOSOPHIA.

Epistola cuiusdam Patris ad Filium.

A Rcanum omnium arcanorum, secretum secretissimum
huius tam inclytæ scientiæ tibi, fili carissime, revelabo,
prout manibus nostris tetigimus, & oculis corporeis vi-
dimus, & adjuro te per eum qui cuncta creavit, ut nemini
hoc sanctissimum, & excellentissimum munus tradas, sed ut
more philosophorum illud celes, & non mireris si tecum pa-
lam locutus sum, quia jam à pluribus annis errores tuos co-
gnovi: vidensque tuum frequentissimum studium, tuamq;
sollicitudinem, non potui resistere voluntati meæ, quin ipsu
tibi traderem, quicquid verear animæ meæ pœnam inferre.
Sed fili carissime, si mandata nostra servaveris bonum con-
sequeris effectum, & antequam ad practicam accedamus ti-
bi aliqua principia naturalia detegemus, ut ipsis cognitis cro-
das, quod inferius sequetur.

Sunt principia huius famosæ scientiæ eadem quæ & natu-
ralia in metallis. Metallorum autem principia, super quibus
natura fundatur in suis actionibus in ipsis formandis sunt
istamet. Materia ergo omnium metallorum in suis mineris,
de qua ipsa generantur & creantur, est aqua sicca, quam aqua
vivam, vel argentum vivum nominamus, & spiritus fœtens,
quæ aliter sulphur appellamus, non tamen in natura sua pro-
ut sunt in mineris creata: quia in locis ubi generantur & crea-
tur nullum metallū invenitur. Sed poti⁹ ista materia est quæ-
dam substantia naturalis, à Deo, & à natura creata habens in
se substantiam sulphuris & mercurii, sive argenti vivi, & ex
ista tali substantia, vel materia duorū prædictorū procreata,
generatur & creatur quædam substantia subtilis fumosa in

vise